

Heinrich Rudolph Redecker


Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. P.P. ... ad Festum invictissimo Archangelo Michaeli Sacrum, devotis precibus, & piis meditationibus celebrandum Omnes & singulos Academiae Cives, ex officio, ut officii sui memores sint, hortatur

Rostochii: Kilius, 1666

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733985165>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1666. Mich.

M-1256. s.

PROGRAMMA,

1666. 25
Weid.

Qvo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HEINRICUS RU-
DOLPHUS *Redeker*

J.U.D.P.P.Serenifs. Ducis Mechl.

Consil. & Consistorii Provincialis

Affessor,


ad Festum,

invictissimo Archangelo

MICHAELI

Sacrum,

de precibus, & piis meditationibus
celebrandum,

 *Omnes* singulorum Academiae Cives, ex
officio, ut officii sui memores sint, hortatur.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII. Aead. Typogr. cl^o l^o LXVI.

M. 1256⁵

1466⁵



Salutem!



nter stupenda rerum cre-
atarum opera, quæ sapientissi-
mus illarum opifex mirabili
arte, & provido studio compo-
suit, principem sibi locum vin-
dicat, quando angelorum &
hominum ineffabilem stru-
cturam penitus intuemur. Si
hominem, qui, præ cæteris
terræ admirandis, divinæ par-
ticulam auræ ostendit, contem-
plemur, sacri prorsus &
admirabilis operis contextus in illo apparet. Siquidem
sub exuviis mortalis corporis, grandis thesaurus latitat, &
sub mortali isto corpore, vel, si rectius vultis, cortice, sub-
lime, excellens, & immortale depositum occultatur.
Animam intelligo, quæ suapte natura immortalis qui-
dem est, continetur tamen mortali hoc pectore. Hinc
duplex mortalibus curam nata, quæ in corporis huma-
ni fabrica cottidiè occupata est; Una corporis, sive, sicut
Plato eximius gentilis loquitur, hominis exterioris, qui
sibi suisq; indulget cupiditatibus: altera animæ, vel ho-
minis interioris, quæ bonæ menti laborat, nihilq; nisi pi-
um ac sacrum contemplatur & cogitat: In illo nos na-
tura

tura adscripsit rebus subcœlestibus & mortalitati obnoxiiis: in hac Deum terræ cœliq; artificem, adeoq; unicum omnium miraculorum authorem, intuemur, & divinioris sapientiæ secreta investigamus. Magnum certè & admirandum cœli terræq; Creatoris opificium est, quando Angelos, quibus, ceu substantiæ, finita spiritualitas, invisibilitas, simul & indivisibilitas, imò & immortalitas attribuentur, creavit, ut non tantum majestatem divinam pleno ore & sonorâ voce prædicent, sed ut pios etiam custodiant ac protegant: Hinc egregiè Rex, & Propheta David: *Immittet Angelus Domini, in circuitu timentium eum: & eripiet eos.* Iterumq; officium Angelorum, quo ex mandato altissimi promptissimè funguntur, explicans, in divina hæc erumpit verba: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Eamq; sententiam, divinarum rerum oculus & facundissimus Præco, Apostolus Paulus sanctissimo sermone comprobatur: *Angeli omnes sunt administratorii Spiritus: in ministerium emissi propter eos, qui hereditatem capient Salutis?* Uti enim Reges & terrarum Domini, ut dignitatem suam & statum illustriorem reddant, subditos ab hostium insultu tutos reddant, præmiaq; bonis & pœnas malis decernant, officiales ac belli Duces eligere, & milites conscribere adsolent; Ita æternus Deus creavit Angelos, non tantum ut divinam ejus Majestatem glorificent, verum etiam ut sint ejus Vicarii in terris. Siquidem tam in prisca quam in novâ lege vice Dei funguntur Angeli, ejusq; voluntatem promptissimè exequuntur. Quemadmodum autem, ex revelato verbo Dei, tam Veteris quam Novi Testamenti, certi sumus, quod Deus creavit Angelos,

Angelos, ita humanæ gentis vitium est, curiositas, qui stultissimi mortalium scire cupiunt: Quo die conditor universi creaverit Angelos? Quot numero creavit Angelos? Quo die, Luciferum & tot milliones pulcherrimorum Spirituum, cœlo proscripsit in omnem aternitatem? Cur pro lapsis Angelis, non itidem factus est Angelus, uti, pro lapsis hominibus, factus est homo? Qui, qualesve ordines inter Angelos sunt? pia enim potius, ac curiosa, homini Christiano placere debent, unde verissimè dixit Ecclesiastes: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit questionibus.* Caterum nobis, usque dum hominem exuamus, scire sufficit, in salutem hominum Angelos esse creatos, illorumq; numerum, in certos ordines distinctum (quod Apostolus Paulus præ aliis egregiè docet) soli quidem Deo numerabilem, nobis autem infinitum & innumerabilem. Officia a. illorum, ut voluntatem Creatoris expediant, & Provinciam curandi nostram salutem, & custodiendi nos in viis Domini, sustineant, varia sunt, & beneficia mille. Numerus tamen eorum tantus est, qui nec intelligentia comprehendi, nec lingvâ pronuciari potest. Inde Job quærit: *Nunquid est numerus militum ejus?* & Daniel conatur illum ad calculum vocare: Millia millum ministrabant ei, & decies millies centena millia adstitebant ei. Hoc autem, Gregorio teste, duntaxat affirmat Propheta, numerum illorum Deo esse numerabilem, homini autem innumerabilem & ineffabilem. Christus in olivarum horto, ut inconsideratum & fervidum Petri Apostoli ausum, dum gladio Dominum suum tueri, & injuriam propulsare conabatur, inhiberet, & duodecim Apostolorum invalidum robur, Angelorum autem innumeras Myriades ostenderet: *An putas, inquit, quia non possum*

possum rogare Patrem meum, & mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum exhibebit. Johannes Apostolus, qui arcanorum Dei conscius erat: *Et vidi*, ait, *& audiui vocem multorum Angelorum in circuitu throni, numerus eorum millia millium.* Hoc certum, & divinis testimoniis, quæ indubium vocari nefas esto, & blasphemia morte pianda, congruum, multo majorem esse numerum Angelorum quam hominum: quod autem *milliones*, quod *legiones*, qui *ordines*, quæ *agmina* cœlestis militiae, ille novit, qui, *Psalmistâ teste, numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Mortalibus hæc arcana sunt, nec, in hac mortalitate, curiosâ superstitione scrutanda, usq; dum in beatorum orbem, ubi Angelorum numerum in Deo, ut in speculo, cernemus, translocemur. Uti autem Deo, ceu Imperatori suo, qui, à multitudine cœlestis militiae, vocari cupit, *Dominus exercituum*, Angeli semper prompti sunt ad prælium, ad honorem, & ad tremendam ejus majestatem colendam parati, ita hominum curam, in omnibus periculis, intrepidi subeunt. Nam è carcere & vinculis liberabant Apostolos. In mediis flammis Babylonicis illæsos tuebantur. Inter impastos & esurientes leones defendebant Danielem, concludentes ora leonum, ne nocerent ei. Ex incendio Sodomæo subducebant Lothum, ne malorum societate periret, qui nocentissimo vicinorum veneno non erat infectus. Castissimam Susannam à morte liberabant, ne innocens periret, quæ impuris Senibus nolebat placere. Assyriorum castra, ipsosq; Assyrios, contrivit Angelus unicus, ut potestas omnipotentis innotesceret. Formidandam & flammeam aciem explicabant, ut Elisæum, ejusq; trepidantem servum, exitio eximerent. Angeli tanto amore prosequuntur humanum genus, ut gaudeant & latentur

tur super uno peccatore, quatenus Regnum Christi augetur, regnum Satanæ verò destruitur: contristantur autem, si quis à vero Dei cultu recedat, seq; , peccatis undique contaminatum, Diabolo mancipet. Constantinum Magnum, contra Maxentium aliosq; conjuratos hostes, roborabat, eiq; victoriam, in signo crucis Christi, pollicebatur Angelus. Per Angelos enim nemo non fortis & intrepidus est, si modo velit illorum ope uti, & fortis esse. Arcadium Imperatorem, omnibus praesidiis humanis destitutum, contra Cajanum Vandalumuebantur. Ardaburium Theodosii Imperatoris Ducem, in defensione regiaë urbis Constantinopolitanaë, contra Persas, è manibus Johannis Tyranni, liberavit Angelus Dei. Sic, cum irruente Lysia, Judas Machabæus suis auxiliatum iret, apparuit, præcedens eos, eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans. Contra Timotheum verò, Asiatici exercitus Ducem, pugnanti, apparuerunt Viri quinque de cælo, Macchabæum comitantes, & incolumem servantes, telaq; & fulmina jacentes in hostem. Inde vir Dei David eos nominat Custodes pro nobis, & Coricæos contra malos Spiritus, quorum conatus venenatos, & ausus astutos, indefensâ opera avertunt. Sic Angelus, cum videret Abrahami ancillam Agar, ad desperationem proclivem, eam à malo proposito avocavit, *quid agis*, inquit, *Agar? noli timere*: simulq; vicinum fontem sitienti, ceu desperatæ vitæ remedium, monstravit, ut eam à damnosâ tentatione liberaret. Ita etiam Angelus Domini Philippum hortatus est, ut occasionem arriperet, Candacem Æthiopum Reginaë Quæstorrem, ad verum Dei cultum informandi, & vera religione imbuendi. Siquidem ipsi homines christiani occasionem, de proximo bene merendi, non tantum oblatam adripere,

ripere, verum etiam fideliter quarere tenentur. Viam etiam ad cœlum ostendunt Angeli, quemadmodum Jacobus Patriarcha in somnis scalam stantem super terram vidit, cujus cacumen cœlum tetigit, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes per eam. Et ipse Salvator noster: *Videbitis, inquit, cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes.* Vehementer enim à via æternæ Salutis aberrant, & sese in æternos præcipitant cruciatus, qui non abs hisce tabellariis, qui se lubentissimè piis ac castis adsociant, & ad cœli tramitem ducunt, viam ad astra discere cupiunt. Orantes enim vehementer animant, castos autem ardentissimè amant & propugnant. Ita castissima Judith, cum immortalem reportasset victoriæ laudem, quando inter impuros Holofernis, Assyriorum prædonis, unguis, intactam pudicitiam servavit, & caput prædonis in triumphum duxit, nulli nisi Custodi Angelo acceptum retulit: *Vivit Dominus, dicens, quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.* Amicum siquidem Angelis est bonum propositum, amicum obsequium, amica obedientia, amica castitas. Sunt enim candidissima illa lilia, quæ inter cœlestis Sponsus, supra omnem amœnitatem, pascitur: proinde etiam non nisi purum admittunt odorem, & cum puris & innocuis duntaxat commorantur, illosq; non quærunt tantum, sed in suos etiam amplexus rapiunt. Nostrum est, *Cives Academici*, festum hoc, Archangelo Michaeli sacrum, devoto cultu celebrare; nostrum est, puritate cordis Angelos sequi; nostrum est, innocentia vitæ, precibus indefinentibus, consortium, curam, & tutelam Angelorum mereri. Proinde sequamur Angelum, Petrum ex carcere Herodis ducentem,

centem, & jubentem, ut calceos, vel ut alii volunt, ocreas, induat. Vult enim nos ita ex mundo fugere, ut nihil, & ne quidem par calceorum veterum, in eo relinquamus, ne vel exteruncio maneamus servi mundi: quoniam obligatio illa, & memoria mundanarum voluptatum, nos facile posset cogere, ut antiquum repetamus domicilium. Bonum autem est ita mundum & omnia mundana deserere, ut nihil nostri in ejus maneat arbitrio. Optimum nobis Angeli monstrant viam, prolixioresq; promittunt voluptatem, audiamus proinde nobilissimos hosce Dei Cantores, & simul cum illis æternæ dulcedinis Symphoniam exordiamur: *Benedictio, & Claritas, & Sapientia, & gratiarum actio, Honor & Virtus, & Fortitudo DEO nostro, in Secula Seculorum, Amen.*

Dabam sub Sigillo Rectoratus ipso die
Archangelo Michaeli sacro,
Anno M. DC. LXVI.



ripere, verum etiam fideliter quærere etiam ad cœlum ostendunt Angeli, quibus Patriarcha in somnis scalam stans vidit, cujus cacumen cœlum tetigit, & Ascendentes, & descendentes per eam. Et ipsi respondentes, *Videbitis, inquit, cœlum apertum, & Angelos Ascendentes & descendentes.* Vehementer enim angelis aberrant, & sese in æternos præcipites non abs hisce tabellariis, qui se lubentius ad sociant, & ad cœli tramitem ducunt, discere cupiunt. Orantes enim vehementer sanctos autem ardentissimè amant & profitissima Judith, cum immortalem re laudem, quando inter impuros Holoforn prædonis, unguis, intactam pudicitiam prædonis in triumphum duxit, nulli nisi acceptum retulit: *Vivit Dominus, dicitur, dixit me Angelus ejus, & hinc euntem, & inde huc revertentem, & non permisit me suam coinquinari.* Amicum siquidem num propositum, amicum obsequium, amica castitas. Sunt enim canes quæ inter cœlestis Sponsus, supra omnia pascitur: proinde etiam non nisi puritatem, & cum puris & innocuis comparantur, illosq; non quærunt tantum, amplexus rapiunt. Nostrum est, ostentum hoc, Archangelo Michaeli sacrum celebrare; nostrum est, puritate cordis Amicum est, innocentia vitæ, precibus infortium, curam, & tutelam Angelorum de sequamur Angelum, Petrum ex cœ-

Viam
m Ja-
erram
ascen-
oster:
nden-
Salu-
s, qui
castis
astra
t, ca-
ta ca-
storæ
orum
caput
ngelo
custo-
antem,
cillam
st bo-
edien-
a lilia,
tatem,
unt o-
mmo-
etiam
ici, fe-
ltu ce-
; no-
s, con-
Proin-
dis du-
ntem,

